

*Ex Evangel: Luca 2. cap:*

**E**T pastores erant in regione eâdem, &c.

## EXORDIUM.

Nû: 24.  
Luca 1.

Es: 9.

**N**ullius certè hominis lingua eloqui potest, quàm ingentia beneficia hac ipsâ nocte à DEO nobis sint exhibita. Hac enim nocte orta est juxta prophetiam Bileami nobis stella ex Jacob: Visitavit nos oriens ex alto, nobisq; juxta vaticinium Esaia, puer natus & filius datus est. Quapropter mei officij esse existimo, cū Angelo hac ipsâ nocte vobis annunciare gaudium illud magnum, quod nativitate Christi contigit omni populo, vestri verò, cum pastoribus vos conferre in Bethlebem Spiritualem, id est in templum Domini, & cognoscere verbum de Nativitate Salvatoris nostri, illudq; cum Mariâ in corde conservare. Quâ in re adjuvet nos sancto suo Spiritu Verbum propter nos Caro factum, Amen.

## NARRATIO.

**C**ogitanti mihi sæpenumero, quidnam in hac vigiliâ Salvatoris nostri pro concione in medium afferrem, non incom-